UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ethicæ Doctrinæ Elementa, Et Enarratio Libri quinti Ethicorum

Melanchthon, Philipp

Witebergae, 1583

VD16 ZV 20638

Discrimen inter summum iis, & επιειϰθαμ.

Nutzungsbedingungen

urn:nbn:de:hbz:466:1-56560

Visual Library

ſtinctione dominiorum, propterea quod cauſſæ quærendi & tuendi res non ſunt pares.

Etſi igitur noticiæ illæ & præcepta præſertim ſuperiora, ſunt leges immutabiles, vt ſupra dictũ eſt, tamen accidentia, quæ ſunt bona vtilia mutantur, quia aliqua accidit in natura mutatio, vt pax, vſus communis rerum, mutata ſunt, quia acceſſerunt vicioſæ cupiditates, propter quas neceſſe eſt, quæri alia remedia ſeruandi regulas ſuperiores, videlicet, vt ſeruetur iuſta ſocietas hominũ. Ex hoc fonte facilis dijudicatio eſt, quæ naturalia ſint immutabilia, videlict: noticiæ, quæ ſunt præcepta & radij diuini lucis in nobis, quos Deus etiam in hac corrupta natura lucere voluit. Accidentia verò, quæ ſunt bona vtilia, vt pax, & communis vſus rerum, mutata ſunt, quia pars naturæ mutata eſt, & volũtas iã vitioſa frenanda eſt, vt ſuperiores regulæ ſeruẽtur.

Diſcrimen inter ſummum ius, & ἐπιείκεαν.

Summum ius propriè loquendo, non ſignificat calumnioſam interpretationem iuris, qualis fuit: cum pactus triginta dierum inducias, nocte populabatur hoſtium agros, aut cum legatus Romanus pactus cum Antiocho, vt dimidia pars nauium ei relinqueretur, ſecuit naues, vt claſſe vniuerſa eum priuaret, Talia Sophiſmata non ſunt ſummum ius, ſed calumniæ.

Eſt autem ſummum ius, cum leges ſeuerè ſine mitigatione retinentur, etiam cum propter circumſtantiam aliquam probabilis ratio erat mitigationis, *vt cum iudex furem pauperem impulſum egeſtate alioqui non ſceleratum, & pauca ſine atrocitate furatum, afficit capitali ſupplicio. Etſi autem diſcrimen eſt inter calumnias & ſummum ius, tamen interdum ita loquuntur homines, vt calumnias vocent ſummum ius, & ſæpè calumnioſæ interpretationi ſummi iuris ſpecies prætexitur.*

Επιείκεια vero ſeu æquitas, eſt probabilis mitigatio ſummi iuris in aliqua circumſtantia, præſertim in caſu, de quo non principaliter lex loquitur: *Vt cum lex iubet ſtrangulari furem, loquitur de eo, cuius ætas eſt firmior, & qui atrociter furatus eſt. Interea permittit lex iudicio prudentis iudicis mitigationem huius pœnæ, in caſu, de quo lex non principaliter loquitur, vt ſi quis alioqui modeſtus impulſus fame, panes ſine atrocitate furatus eſt.*

Hinc intelligi poteſt, vbi ἐπιείκεια *locum habeat. Non enim approbat delicta, nec abolet leges, ſed alicubi mitigat circumſtantiam aliquam in caſibus, de quibus lex non principaliter loquitur. Nulla enim lex complectitur omnes caſus & omnes circumſtantias.*

Dixi igitur eſſe probabilem mitigationem,

videli-

videlicet, quæ ex honeſta ratione ſumitur. Vt cum concurrunt diuerſæ leges, quæ pariter ſeruari non poſſunt, præferenda eſt ſuperior, vt ſi quis apud te ſanus gladium depoſuit, eumq́; repoſcit furens, lex inferior iubet reddere: at lex ſuperior, Neminem lædas, tunc reddi vetat. Ideo vſitatè dicitur: Diſpenſatio nō ſit dißipatio. Suntq; duæ virtutes vicinæ, ſeuera iuſticia, & ἐπιείκεια, quarum vtraq; regitur vera & iuſta ratione, & differunt gradibus & verſantur inter eadem extrema, crudelitatem & indulgentiam.

Exemplis autem fient hæc illuſtriora. Dauid in neceßitate veſcitur ſacris panibus, quia ſcit regulam, Moralia anteferenda eſſe ceremonijs, cum vtraq; non poſſunt ſimul ſeruari. Norat etiam tunc in eo facto nihil eſſe ſcandali. Maccabæi pugnabant in Sabbato, cum lex præcipiat quieſcere, Sed quia hoſtes ipſam Sabbati occaſionem captabant, vt tunc Iudæos opprimerent, cum non prœliabantur, tandem Maccabæi anteferunt defenſionem ciuium, quæ eſt præcepta lege morali, & quidem ſeruabant finem legis. Non enim hoc agebant, vt his exemplis abolerent Sabbatum ſed multò magis, vt Sabbatum & doctrinam propugnarent & defenderent.

In ff de parricidijs, Imp. Adrianus eum, qui filium occiderat, propterea, quod cum nouerca adulterij conſuetudinem habuiſſet, tantum depor-

tari iubet, cum ſummo iure durior pœna conſtitui potuiſſet. Sed propter circumſtantiam mitigata eſt pœna, quia ſceleris magnitudo iuſtum dolorē attulit patri. Apud Gellium lib. 12. cap. 7. Areopagitæ liberant mulierem Smyrnæam, quæ veneno maritum & eius filium necauerat, qui tamen prius occiderant mulieris filium, natum in priori coniugio. Areopagitæ tulerunt ſententiam, vt centeſimo anno poſt, cauſſa iterum cognoſceretur. Ita non approbant quidem atrox facinus, ſed tamen pœnam remittunt propter iuſtum matris dolorem. Demoſthenes in oratione contra Ariſtocratem recitat duo iudicia deorum in Areopago. In altero Mars abſolutus eſt, cum interfeciſſet filium Neptuni Halirrothoum, qui ſtuprauerat Alcippen Martis filiā. Deinde Oreſtes abſolutus eſt, cum interfeciſſet matrem. In his caſibus ſcripſit antiquitas, mitigatas eſſe pœnas propter probabilem rationem, & tranſtulit hæc illuſtria exempla ad autoritatem diuinam, vt ſignificarent homines docti, propter circumſtantias interdum rectè concedi mitigationes pœnarum.

Athenis poſt Thraſybuli victoriam, cum ciues iniuſtè pulſi ſua patrimonia, quæ ab aliis poſſidebantur, repetere ſummo iure potuiſſent, tamē, quia inde noui motus orituri erant, ſanxit Thraſybulus ἀμνηστίαν, *id eſt, obliuionem omnium iniuriarum, qua prohibebat repetitionem bonorum,*

rum quamlibet iuſtam ſummo iure. Sed hæc moderatio finem fecit ciuilium diſcordiarum & bellorum. Extant & in concionibus Propheticis & Apoſtolicis dicta, de hac probabili mitigatione, vt Salomon inquit: Ne ſis nimis iuſtus, Item: Qui nimium emungit, elicit ſanguinem, Item: Miſericordia ſuperet iudicium. Ita vniuerſaliter vult Deus in Eccleſia, in pœnis tamen conſpici bonitatem ſuam, & miſericordiam, qua lenit pœnas, iuxta illud: Miſericordia Domini, quod non conſumti ſumus. Item: Non faciam furorem iræ meæ. Item: Bonus eſt Dominus, & miſericors, & pœnitet eum mali. Item: Non accendit totam iram ſuam, Item: Domine, corripe me in iudicio, non in furore. Imò vniuerſum Euangelium eſt miranda & ingens ἐπιείκεια *legis, quia affirmat, Deo in credentibus propter Mediatorem placere hanc incoatam obedientiam, quanquam procul abeſt à perfectione legis, & multum ſordium adhuc in nobis hæret.*

Hanc mirandam ἐπιείκειαν, *ſæpè & magna attentione conſideremus, & Deo gratias agamus, & libentius obediamus, Simul etiam cogitemus Deo placere, vt nos ipſi in hac infirmitate hominum præſtemus* ἐπιείκειαν, *& aliqua mediocria incommoda in aliorum moribus, ſi tamen abſit enormitas, condonemus communi tranquillitati.*